



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 72. Ismael primus Persiæ Sophus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

dem vero, postquam hoc bellum bien- Sæcul. XV.
nio flagrasset, pax utrinque conciliata A.C. 1499.
est, ea lege, ut Veneti S. Mauram Tur-
cis redderent. Bajazethem ad hanc pa-
cem propensorem fuisse tradunt Scri-
ptores, quod Ismael Sophus Persidis re-
gno potitus, jam Othomanis terrorem
incutere cæpisset, utpote quibus non
unico experimento hujus Principis vir-
tus comprobata erat.

§. LXXII.

Ismael primus Persiæ Sophus.

Fuit hic Ismael primus Persiæ Sophus, *Bizard. hist. Pers. l. 10.*
Sicaidarum filius ex Usumcassani filia *Leuncl. ant. Turc. l. 16.*
progenitus. Adhuc puer in Hyrcaniam
ad quemdam Patris sui amicum profu-
git, moxque haud obscura fortitudinis,
præprimis vero ambitionis suæ specimina
edidit, ac primum paternam ditionem
recuperare constituit, suorumque, qui
ad commune cum illo periculum intre-
pidi currebant, auxilio adjutus, prospe-
ro Marte dimicavit, demum secundo ar- *Spond. hoc*
morum successu audaciam acuate, Tau- *ann. n. 7.*
risium in Armenia petiit, quam urbem *Barros Asia*
diffidiis inter ejus Rectores obortis, nul- *dec. 2 l. 10.*
lo ferme negotio occupavit: cum autem *cap. 6.*
originem suam ad Halem Mahometis ge-
nerum referret, novamque Mahometa-
næ legis interpretationem traderet, quam
pluri-

Sæcul. XV.
A.C. 1499.

plurimos sibi sectatores conciliabat, qui postea ejus studia sequentes, ipsum strenue propugnabant: nil enim antiquius habebat, quam ut diversa, & aliena ab iis, quæ Turcæ docebant, ex Alcorano erueret, proin tot Turcarum hostes, quot novæ doctrinæ sequaces crearet. Valuit successus; brevi enim duæ exurgebant factiones, quæ objecta hæresis calumnia sese invicem lacefebant: quare Ismael, cum Sectam suam numero, ac potentia Turcis prævalere intelligeret, totum Persiæ imperium sibi subicere aggressus est, hocque anno prima novi regni auspicia stabilivit, seque Sophum vocari voluit, quod nomen Persico idiomate *lanam* significat, eo quod laneo capitis tegmine rubei coloris, velut speciali dignitatis suæ insigni uteretur, ut se discerneret a Turcis, & Tartaris Mahometanis, quorum priores suum insigne ex alba, posteriores vero ex viridi lana pileum deferunt. Nonnulli existimant Scriptores, hoc nomen *Sophus* a græca voce derivari, illudque ad antiquorum Persarum Magos, qui *Sapientes* ac Nationis Principes erant, accedere crederetur; verum hæc opinio solida ratione destituitur.